Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 911
Quelle:
Copyright:

Verſibus hexametris depinxit penthametrisque
Floribus ex uarijs ceu fulget nexa coronis.
Nunc ergo (ego) *te lector relegis qui hec ſedulus oro*
Attentas adhibere ſonis celeſtibus aures.
Iſtic inuenies animi ſi cura ſubintret
Maxime (maxima?) *que doceant ſacre moderamina legis*
Obſervare homines (et) *qui* (quae) *ſibi maxime* (maxima) *monſtrent*
Sydereum celi cupiunt qui ſcandere regnum.

Dicitur quidem praevie, *Proſperi* eſſe iſtud *Prooemium;* ſed tam parum *Proſperum* refert, quam *fol.* 23. *Epilogus*, quem pariter hic addo, quantum licuit, emendatum:

Nobilis hic calamum deponit proſper agreſtem
Multaque deducens dulci modulamine fila
Traxit et heſperio jam longas vellere pennas
Purpureo et fuluas ſuſpendens ſtamine telas
Auratum facilis texit facundia peplum
Serica percurrit radio perfulgida lingue
Inſerit eloquio gemmas interque micantes
Inſtar ſiderei celi depinxit amictum
Floribus auricomis tellus quos fundit opima
Vel ſinus equoreus ſpumoſo e marmore profert.
Omnia more apium mentis iam peruolat alis
Colligit ambroſios celeſti nectare rores
Implet odoriferum faui ſubtemine amictum
Oris et officio ſtipat cellaria plena
Sic opus ammirans ſimplex textura coruſcum
Tu rogo quisque leges ſenſum et libabis odores
Indue te chlamideque dei ſacrisque parentum.
Arbiter omnipotens ſceptro qui cuncta gubernas
Alme parens chriſti uotis miſerere precantum
Dignare et famulis uitam donare perhennem.

Proſperi quae ſunt, ſic ineunt:

Dum ſacris mentem placet exercere loquelis &c.

Sed non eodem prorſus ordine procedunt, quo in *cit.* Edit. *Lugd.* et ſatis mendoſe deſcripta ſunt; habent tamen in calce cum ſubjecta Elegia *Anacreonticum* illud:

Age iam precor mearum &c.

quod majori jure ad *Paulinum Nolanum* pertinere videtur.

II.